bilicum addo. Illi *Macrocosmi* & *Microcosmi* Conditori sapientissimo sit laus, honor & gloria in infinita secula.

ANNEXA EX QUAVIS
Philosophiæ parte.

Ex Logicis.

1. NOn *plura*, *quam duo* summa rerum genera; *unum* intellectualium, *aliud* materialium *agnoscimus.*

2. *Intellectus & voluntas cum non sint accidentia, sed ad substantiam animæ pertineant, ad Categoriam* qualitatis *non sunt referenda; ut nec longitudo & latitudo ad Categoriam* quantitatis.

3. *Generalis & princeps* ordinis *regula est*, ut à facilioribus incipiamus, atque inde paulatim & quasi per gradus quosdam, ad cognitu difficiliora progrediamur.

4. *Prima & generalissima* judicandi *regula est, ut in veritatis investigatione occupati*, nihil affirmemus aut negemus, nisi re clarè & distinctè percepta.

Ex Metaphysicis.

1. MEns *nostra non modò prius & certius, verùm etiam evidentius, quam corpus cognoscitur.*

2. *Deum existere ex ipsius ideæ consideratione quàm accuratissimè demonstrari potest.*

3. *Existentiâ Dei cognitâ necessariò illud omne nobis verum & certum esse debet, quod valdè* clarè distincteque *percipimus.*

4. *Omnis* impossibilitas *in sola nostra mente ideas sibi mutuò adversantes male conjungente consistit; nec in ulla re extra intellectum posita esse potest.*

5. Summa & maxima *hominis potentia est, quam habet in proprias cogitationes;* minima & infima *quam in alios homines, qui jux a nobiscum libero utuntur arbitrio.*

6. Sensus, appetitus, affectus *ante veræ Physicæ cognitionem seriò philosophaturo debent esse* tanquam meræ Scepticorum apparentiæ.

Ex

Ex Mathesi.

I. RAtio naturalis dari potest, quare plurimi, si versati sint in Metaphysicis, à Geometricis abhorreant; si verò Geometriam excoluerint, Metaphysica non benè capiant.

II. Cum Physices & Matheseos idem sit subjectum: Mathesis verò innumeris gaudeat demonstrationibus, quid obstat, quo minus principia nostra indè petamus?

III. Hoc theoremate: in omni triangulo tres angulos esse æquales duobus rectis longè certius est illud: Deus existit.

IV. Etiamsi omnis trianguli duo latera simul sumpta reliquo sunt majora; in rectangulis tamen triangulis duo quadrata crurum æqualia sunt quadrato baseos.

V. Quatuor vulgatas Arithmeticæ species ad duas revocare possumus.

Ex Physicis.

1. IN Physicis sæpe, vulgo quod dicitur evidens, Philosophis satis est obscurum, ut vel ipsum lucis exemplum docet: contrarium fit in Mathematicis.

2. Ut igitur paradoxis majorem partem constet, necessum est.

3. Nulla sensibus, sed intellectui soli res distinctè percipienti, omnis rectitudo inest.

4. Et omne corpus sensibile esse, apud illos qui non sensus, sed intellectum pro mensura & norma cognoscibilium habent, implicat.

5. Non plus materiæ in vase plumbo, auro vel alio quantumvis gravi ac duro corpore pleno continetur; quam cum aërem tantum continet, vel etiam vacuum existimatur.

6. Nullius rei permanens est locus, nisi quatenus à cogitatione nostrâ determinatur.

7. Dari maximum & minimum in Physicâ generali negamus.

8. Non plus actionis ad motum, quam quietem requiri arbitramur.

9. Aberrationes Planetarum ab Eclyptica seu motus eorundem in diversis planis legibus Naturæ non repugnant.

10. Quâ ratione Luna privari lumine, Stellæ de cœlo cadere, cœlorum virtutes commoveri possint. Matth. 24. v. 29. ex Philosophiæ nostræ Principiis, ut face latè fulgente, est manifestum.

11. Cur bruta propriè magis possint dici percipere dolorem, sentire calorem

lorem &c. quam magnes percipere præsentiam ferri, nix sentire Solis calorem &c: nullam sane putamus dari posse solidam rationem.

12. *Adeóque omnes bestiarum actiones per solam spirituum vim & membrorum conformationem absque ullâ mentis alicujus operâ explicari possunt.*

Ex Philosophia practica.

1. *Omnium virtutum fundamentum ipsa tantum est* recti cognitio.

2. *Quam cum per theoriam Philosophicam acquirere debeamus, juremerito* Ethica, *prout est summus & perfectissimus* sapientiæ *gradus, inter Philosophicas disciplinas locum tenet ultimum.*

3. *Quin etiam ipsius Medicinæ cognitionem non parum hic facere ex illo* Galeni: mores animi sequuntur temperamentum corporis, *patet.*

4. *Sæpè vitia non valdè frequentia magis quã ipsæ virtutes celebrantur.*

5. *Parentum consensum circâ conjugium qui de ejus honestate tantum esse contendunt, de ejus necessitate pariter esse, ut dicant necessum est.*

6. *Quamvis mas & fœmina sint puberes, societatem nuptialem tamen ipsis statim inire consultum non est.*

Ex Theoria Medica.

1. *Accuratam eorum omnium, quæ in corpore humano sunt & fiunt, esse & fieri possunt, cognitionem, ejusque ad praxin deductionem* Medicinam *dicimus.*

2. *Chylum maximam partem sub formâ liquoris ex ventriculo egredi putamus.*

3. *Ipsiusque partem subtiliorem in* Microcosmo *non aliâ ratione venas lacteas subire, crassiore in intestinis relicta; ac in* Macrocosmo *majores & tardiores materiæ particulæ, dum per rectas & patentes vias feruntur, subtiliores & celeriores per obliquas & angustas expellunt.*

4. *Experientia ratione non firmata fundamentum Medicinæ nullum est.*

5. *In omnibus morbis,* ventriculi *rationẽ habendam esse existimamus.*

Præstantissimo ac Doctissimo Dn. Auth. ac Resp.

TU pede scandendo subsellia docta Virorum
Suscipis intrepidè grande laboris opus.
Namque doces qui *conveniant Microcosmus & Orbis*,
Si hoc in mundo crescis honore magis.
Macte animo! semper DULCKENI cresce, favemus,
Jova Tibi faveat; dulcis AMICE, Vale.

Ita honoris & amoris ergo accinuit

HENRICUS LEIMGARDT Essenã Guestphalus LL. Stud.